



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1415. usque ad annum 1431

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118294**

§. 105. Sententia Joannis hussi condemnatoria.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66272](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66272)

## §. CV.

Sæcul. XV.  
A.C.1415.*Sententia Joannis Hussi condemnatoria.*

Cum binæ hæ legerentur sententiæ, Joannes Hussus in genua provolutus *Ibid. p. 127.* & quandoque interloquens, objectum contumaciæ crimen sibi falso imponi quebatur, ac pro suis iudicibus, atque accusatoribus veniam a Deo precatus est. Primam condemnationis suæ sententiam exhibemus: *Habita prius plenaria informatione, & diligenti deliberatione Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum, & cæterorum Prælatorum, & Doctorum sacra Synodus declarat articulos infra scriptos, qui habita collatione reperti fuerunt contineri in ejus libris, & quos confessus fuit in suis libris contineri, non esse catholicos &c. ideo libros prædictos & doctrinam, & singulos alios tractatus in latino sive vulgari Bohemico per ipsum editos aut in quocunque alio idiomate translatos reprobat, atque condemnat, ipsos comburendos publice, & solemniter in Civitate Constantiensi. Altera sententia hæc habet: Christi nomine invocato, hæc sacrosancta Synodus solum Deum præ oculis habens, pronunciat & declarat, Joannem Huss fuisse & esse verum & manifestum hæreticum, ipsumque*

que

Sæcul. XV. A. C. 1415. *que errores, & hæreses ab Ecclesia Dei dudum damnatas, & plurima scandalosa, piarum aurium offensiva, temeraria, & seditiosa dogmatizasse, & publice prædicasse, populum Christianum in Regno Bohemice seduxisse. Idcirco hæc S. Synodus eundem Joannem Huss ab ordine sacerdotali & aliis ordinibus deponendum, & degradandum fore declarat, & decernit, committens Archiepiscopo Mediolanensi & sex aliis Episcopis, ut dictam degradationem, secundum quod ordo juris requirit, debite exequantur: Hæc S. Synodus Joannem Huss, attento quod Ecclesia Dei non habeat ultra quid gerere valeat, iudicio sæculari relinquere, & ipsum Curie sæculari relinquendum fore decernit.*

## §. CVI.

*Hussus degradatus.*

*Ibid. p. 143.* **E**piscopi, quibus degradationis sententiæ executio commissâ fuerat, Joannem Hussum vestes sacerdotales induere, calicemque in manibus gestare iusserunt. Quo factò, Prælati iterum iterumque eum hortati sunt, ut amore suæ salutis, ac proprii honoris errores suos retractaret. Ast negat id se facturum, ne per ejusmodi abjurationem hypocrisis, atque impietate plenam, populo offensionem præberet, simulque innocentem se esse